

Q. D. B. V.
EXCERPTA
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRIUM,

DE
ACTIO-
NIBUS,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atque Excellentissimo*

DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Juris Canonici

Prof. Publ. Ordinario Celeberrimo,

SOLENNI *Disquisitioni*

assistit

JOH. THEOBALDUS GROS,
Oberenhemensis.


Ad D. VII. Octobr. Anno MDCCLVI.

ARGENTORATI,
Literis JOSIÆ STÆDELI, Acad. Typogr.

4
1706, 7.

EXCERPTA
CONTINENS
ILLUSTRIUM
A. G. T. I. O.
N. I. B. L. I. O.
KIRO V. ...
DR. JOHANN ...
P. B. T. N. O.
...
...
...





Praeloquium.



Varia quidem sunt & diversa in Jure Civili argumenta, quæ in praxi forensi usum habent, adeoque discussionem etiam Academicam merentur. Sed si quis inter ea eminere dicat actionum materiam, consentientes habebit, quicumque principia Jurisprudentiæ intimius perspecta habent. Hinc mihi

A 2 na-

tum est consilium, de hisce aliquas proponendi Controversias. Sit itaque

Controversia I.

Utrum actio in libello speciali suo nomine sit necessario exprimenda?

PRO affirmativa militat; quod ideò videantur actiones suis peculiaribus nominibus distinctæ, ut unicuique negotio sua possit accommodari. Inde tam fuerunt Jurisconsulti veteres in discernendis formulis exacti; quas ita porro accuratè observare tenebantur actores, ut ne quidem in syllaba errare absque detrimento causæ suæ ipsis liceret. Ita actionum personalium formula est: adversarium

rium dare aut facere, præstare, restituere debere; Realium verò: adversarium e. g. teneri ad rem restituendam ex Jure reali, five quod ipsi rei inhæret, *vid. §. 1. Inst. de action.* Huc spectat Regula Generalis tradita ab Ulpiano *l. 1. princ. dig. de edendo. Qua quisque actione agere volet, eam edere debet*, id est, demonstrare, determinare, denominare, speciatim exprimere, *vid. §. 1. ibidem*, & hos textus videtur respexisse *Gaius lib. 1. observ. 61. num. ult. adde l. 3. C. de Edendo, & l. ult. C. de Interdictis.*

Verum mihi tamen hæc nondum persuadent, ut hodie adhuc in foro & praxi censeam actionem specialiter esse nominandam. Habemus enim pro negativa textum expressum in Jure Canonico, ex quo constat formalia processus potius quam ex Jure Romano in praxi forensi deduci solere. Ita enim Alexander III. in *cap. 6. extra de Judiciis* rescribit Roma in Angliam ad Exonensem Episcopum & Capit. Londonense: provideatis atten-

tius ne ita subtiliter &c. *cujus modi actio intentetur, inquiratis*, sed simpliciter & pure factum ipsum & rei veritatem investigare curetis. Possent quidem etiam allegari ex Jure Romano jam *l. un. Cod. de formulis & impet. action. sublat.* sed illa tantum solennes formulas, de quibus ab initio dictum, sustulit, & necessitatem abrogavit apicibus formulæ inhærendi, non autem Nomen cujusque actionis legitimum, & formam petendi cuique actioni competentem. Interim certum est, & experientia quotidiana firmatum, non esse necesse, ut nomen exprimatur, nisi quod in *condict.* ex lege exceptionem agnoscant DD. Confer. *Celeberrimus D. Schilterus noster exercit. 1. ad ff. §. 7.* ubi prudenter monet, cauti tamen Advocati esse, ut, licet nominare actionem non teneatur, apud se tamen de ea certus sit, & litem in certo, veroque actionis genere fundet.

Controv. II.

Controversia II.

Utrum actio Civilis & Criminalis cumulari possint, ubi actio Civilis intentatur ab uno & Criminalis ab ejusdem adversario ?



AD Exponendum statum controversiæ pertinet, quod actio Civilis dicatur, quæ ad privatum interesse vel etiam vindictam, seu pœnam actori applicandam tendit, Criminalis verò, quæ ad publicam pœnam, eamque, vel corporis afflictivam, vel pecuniariam fisco inferendam dirigitur. Quando porro de his quæritur; an cumulari possint, observandum est, agi de cumulatione simultaneâ, ubi scilicet plures actiones in uno Judicio simul instituuntur. *vid. l. 29. ff. de Novationib. l. 2. de privatis delictis.* à quâ cumulatione differt successiva, quæ in-
nuit

nuit concursum actionum in iudicio successivè instituendarum, *vid. l. 18. l. 34. princ. l. 53. ff. de oblig. & action.*

Disputatur itaque, utrum, si actio Civilis intentatur ab uno, & Criminalis ab alio ejus adversario, cumlatio tum admittatur, ita, ut uno, eodemque Judicii tenore hæ causæ tractentur. Solet hic à DD. distingui, utrum actio Criminalis Civilem absorbeat, vel Civilis Criminalem, an vero una alteram non tollat; in priori casu cumlationem non admittendam censent, huc allegantes, *l. ult. C. de ordine Jud. & l. 8. C. ad leg. Fab. de plagiaris. vid. Fachinus l. 9. Contr. Juris c. 2.*

In posteriori vero casu potissima est disputatio. Nam *Irnerius*, quem *Accursus* refert in *d. l. ult. de ord. Jud.* cumlationem admittendam esse censuit, quem secuti fuere *Jac. Butrigarius*, *Bald.* & *Paul. Castrens.* Addunt *l. ult. de ord. Jud.* verba: quoniam civili disceptione intermissa sæpè fit, ut prius de crimine judicetur, & existi-

existimant tò sæpe involvere actum, qui aliquando talis non est, & consequenter cumulationem harum actionum aliquando admitti.

Verum ego hoc non obstante cumulationem in dicto casu non admitto, sed primo loco Judicium criminale absolvendum censeo, antequam civile expediat, secutus hac in re *Accursium, Ang. Sacerd.* & communem DD. opinionem fundatam in duplici textu Juris. Prior est in allegata sæpe *l. ult. C. de Ord. Jud.* ubi stabilitur principium: Jud. Criminale, utpote majus, meritò præferri minori. Alter est in *l. 33. C. ad Leg. Jul. de adulteris.* ubi itidem Regula habetur: Civilis actio Criminali meritò postponitur, & declaratur per hypothesin & casum specialem, ubi ex. gr. à marito accusatur adulterii uxor, ipsa vero vicissim actione Civili dotem repetit, & deciditur: hanc actionem esse sequestrandam, nec ejus obice aliquid negotio Criminali tarditatis afferri debere.

B

Controv. III.

Controversia III.

Actio injuriarum ex lege Corneliâ an sit annalis, an vero perpetua?



I quis actionem injuriarum ex Lege Corneliâ annalem esse forte tueri desideret, nulla ei deerit ratio. Regula enim generalis est: odia restringi & favores convenit ampliari. *cap. 15. de Reg. Jur. in 6.* Porrò dicit Dominus noster: mihi vindictam & ego retribuam; & *Levit. 19.* non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ proximi, sitaque facile oblivisci debemus injuriæ. Neque rationes Legum ipsi deficiunt, ex quibus suam opinionem confirmare & defendere posse videtur; cum in *L. 5. Cod. de injuriis* actionem injuriarum anno præscriptam esse, & injuriantem eo elapso conveniri non posse inveniatur.

Verum rectius tamen hanc actionem
sta-

statuimus esse perpetuam, ita ut, si civili-
ter agatur, 30. si vero criminaliter 20. an-
nos duret, *l. 3. § 4. C. de praescript. 30.*
l. 40. ann. § l. 12. C. ad L. Corn. de fals.
Rationem decidendi ponimus in eo, quod
sit actio civilis & ex Lege descendat; ta-
lis autem regulariter est perpetua, *pr. J. de*
perpet. § tempor. act.

Neque est in difficili ad objecta re-
spondere; quod enim *L. 5. C. h. t.* atti-
net, illa non loquitur de nostra actione,
sed de actione injuriarum æstimatoria.
Quod verba DEI spectat, ea contra ad-
versarium retorqueo, qui actionem hanc
anno terminari statuit, cum & ipse adhuc
contra verba DEI peccaret, si eo anno in-
juriantem conveniret, ultionem enim
DEO relinqueret. Sed nimirum ista ver-
ba legitima remedia non excludunt.

Controversia IV.

Num venditor actione Empti

B 2

pos.

*possit conveniri, ut realiter
emptori rem venditam tra-
dat, quando Emptoris no-
mine se illam constituit pos-
sidere?*



Vi venditorem simili in casu ad tradendam realiter rem venditam cogi conantur negare, ij nuntur fundamento, *l. 18. ff. de acquir. poss.* Interpretantur autem allegatam legem, per constitutum; nempe civilem & naturalem possessionem in eum transferri, cuius nomine possidetur, ita ut empti actione ulterius venditor non teneatur, cum rem Emptoris nomine possidendo tradidisse jam videatur.

Verum ego his non impredientibus affirmativæ calculum meum addo defensu ratione multo nobiliori; declaratur etenim ad vacuum rei possessionem tradendam quatenus ea facti est Venditorem tene-
neri,

neri, *arg. l. 3. §. 1. de act. empt.* Ex constituto autem vacua possessio in Emptorem non transfertur, hinc venditorem ex eo, quod se possessorem alterius loco constituerit, patet non liberari. Porro venditor tenetur præstare, ut emptori rem habere liceat, *l. 11. §. 8. ff. de Act. Empt.* Quare minime venditorem absolvi à necessitate realiter & efficaciter rem tradendi, sed ex vendito conveniri posse, ut vacuum possessionem emptori tradat, judicarunt *Bald. & Castrensis.*

Controversia V.

Utrum is, cui plures res sunt obligatæ, à diversis possessoribus agere possit in solidum, an vero contra omnes pro rata?

B 3

Posterior-

Posteriorem cupiunt defendere
Joannes Fabius & Cassianus ad-
 ducta *l. 47. ff. de Jure fisci*, cu-
 jus autoritate omnes possessores pro ra-
 ta docent conveniendos. Adjungunt æ-
 quitatem suæ opinioni, cum sic quisque
 pro debito suo conveniatur: iniquum e-
 nim credunt pro omnibus unum solvere
 obligari. Sed contrariam sententiam ve-
 riorem esse judico, eo argumento addu-
 ctus, quod creditori res omnes sint obli-
 gata, & nulla lex talem divisionem indu-
 cat. Cæterum hæc est communis DD.
 opinio. Ita *Bart. Jason* & plerique alii.
 Non obstat argumentum contrariæ opi-
 nionis, imò JCtus stat à mente nostra, dum
 in dictâ *Leg. 47. ff. de Jur. fisci*. in hæc
 prorumpit verba: æquum putavit Imper-
 ator, prius hæredes conveniri debere, de-
 inde in reliquum *possessorem omnem*, ubi
 sane JCtus omnes possessores convenien-
 dos esse pro rata dixisset, si contra quem-
 libet pro rata actio esset instituenda. Adde,
 quod

quod actio hypothecaria sit realis non personalis, nec tendat ad solutionem debiti, sed ad id, ut possessio rei oppignoratae avocetur, *l. 66. ff. de R. V.* ac postmodum illa à Creditore distrahi possit.

Controversia VI.

Positne Agnatus ex Jure retractus feudum antiquum alienatum ab Agnato cum consensu Domini, eo vivente, soluto pretio revocare?

Rures hac de re sese offerunt opiniones, quibus adhærere possumus.

Prima Agnatos feudum retrahere agnato vivente non posse, sed filiis alienantis pretio soluto hoc Jus competere asserit, ita ut hoc in casu ii plus Juris quum agnati pos-

possideant. Huic opinioni calculum suum dedit Feudistarum pater, quem vocant, *Ifernias in c. Titus, si de feud. def.* quem multi DD. sequuntur.

Secunda est opinio, agnatum posse revocare feudum, pretio tamen soluto, ita *Bald. in cap. 5. Titus lib. 2. feudorum tit. 26.* qui plurimos etiam asseclas habet.

Tertia existimat distinctionem admittendam esse, inter feudum in extraneum alienatum, & in Agnatum remotiorem translatum. In priori casu Agnato proxiori pretio soluto feudum alienatum revocare licere docet *Sonsbecius in usus feud. part. 13. num. 117.* in posteriori ei nullum Jus competere affirmat; neque hæc etiam sententia suffragantibus destituitur.

Ego ex præmissis sententiis secundam ordine relatam communiorem eligo, nulla distinctione adhibita, utrum in extraneum, an vero in Agnatum Vasallus feudum transtulerit, ita ut Agnatus proximior intra annum, nisi alienationi consenserit,

ferit, refuso pretio Jure retractus ad revocationem feudi experiri possit. Ad fundandam meam opinionem allego *cap. supra jam citatum*. Confirmo id per textum in *cap. 1. §. sed etiam res lib. 2. feud. tit. 3.* in eo hæc extant verba: *non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem alij vendere, nisi tibi vel alij proximiori pro aequali pretio volenti. &c.* Quæ inutilis esset constitutio, si feudum aliis vendi non posset, sed agnato proximiori pretium æquale dare volenti Vasallus vendere teneretur, nisi Agnatus proximior pretio oblato, eodemque soluto feudum aliis absque consensu suo venditum revocare posset. Confirmatur hoc ulterius ex verbis sqq. illius textus: *Reddito pretio &c. compellatur tibi restituere, & ex cap. 1. §. porro qual. olim feud. por.*

Controversia VII.

Contra tertium possessorem,
 C
 qui

qui bonam fidem ac justum
titulum habet, num com-
petat aliquod remedium
recuperandæ possessionis?



Ffirmativæ adhærent sententiæ In-
nocentius, Hostiensis, Panormita-
nus, reliquique Canonistæ. Movet
eos primo *Can. Episcopi caus. 3. qu. 1. ibi:*
ab amulis & quibuscunq; detineantur. Se-
cundò fundant se in *c. 5. X. de restit. spol.*
ubi spoliatus etiam prædo restituendus di-
citur; quod ampliatur in *l. 7. Cod. unde*
vi, ut adversus ipsum dominum rei resti-
tuendus dicatur. Exinde itaque magis ad-
versus alios restituendum inferunt. Ca-
nonistis, Legistæ fidem attribuunt, Ripa,
Socinus, & alii multi ad *l. 15. ff. de acquir.*
possess.

Verum cum harum legum (uti cre-
dunt) obstantium ex unica lege patefiat
resolutio; negativa verior esse mihi vi-
detur.

detur. Habet hæc mea opinio basin suam in *l. 7. ff. de vi & vi armata.* quæ cum alio dejectum interdicto experiri non potest, nisi cum ipsemet deiciente declarat, & ita innuit, multo minus in eo huic remedio locum esse, qui est in conditione usucapiendi. Neque negativæ deest assensus Juris Can. ubi occurrit Constitutio *Innocentij in d. cap. 18. de Restit. spoliat.* in qua succurritur spoliatori contra spoliatorem vel eum, qui scienter spoliatori quasi succedit in vitium, qui & ipse spoliatori fit similis; ut exinde facile colligatur, contra eum, qui bonam fidem & justum titulum habet, idem competere non posse.

Controversia VIII.

An Emptori actio de evictione competat, quando litis denuntiationem omisit, sed tamen constat rem defendi non potuisse?

Ne-



Egant hoc in casu emptori compe-
 tere actionem de evictione con-
 tra Venditorem *Bart. & Salicet.*
ac Socinus Senior ad Leg. 2. §. 2. ff. soluto
matrim. Argumentum ex reliquis præci-
 puum hoc adferunt: leges ab Emptore
 venditori faciendam denuntiationem exi-
 gunt, & casum, ubi rem defendi non po-
 tuisse constat, à necessitate denuntiandi
 non excipiunt, & per sequelam nec nos ex-
 cipere eum debere credunt *l. 8. ff. de publ.*
 Sed in contrarium ego moveor, quia ejus citatio non
 requiritur, cui non competere Jus manifestum est, *l. 2.*
§. 2. ff. de administr. rerum ad Civis. pertin. Ita enim
 non requiritur excussio debitoris principalis, ut agi pos-
 sit contra fidejussorem vel tertium, cum manifeste con-
 stet, principalem solvendo non esse; ergo neque denun-
 tiatio, de qua agitur, necessaria est, ubi constat nullum
 venditori Jus competere, quo Emptorem tueri possit.
 Quà de re ulteriorem prioris Legis solutionem dari ne-
 cesse non credidi, cum ex posteriori expresse pateat, Le-
 ges distinctionem hanc admittere, & allatam contra
 nos nihil evicturam. Conf. *Fachin. C. J.*
lib. 2. c. 36.

F I N I S.

Straßburg, Diss., 1704-08

ULB Halle

3


005 359 848



VD 08







177.

4

1706, 7.

Q. D. B. V.
EXCERPTA
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRIMUM,
DE
ACTIO-
NIBUS,
PRÆSIDE
VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atque Excellentissimo
DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,
J. U. D. Pandect. & Juris Canonici
Prof. Publ. Ordinario Celeberrimo,
SOLENNI Disquisitioni
sistit
JOH. THEOBALDUS GROS,
Obernhemensis.
Ad D. VII. Octobr. Anno MDCCLVI.

ARGENTORATI,
Literis JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.

